



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XLVI. Monachorum varia instituta Reipublicæ vtilia esse, & eorum
modus ac ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Cetera autem officia, quae in Sacramentorum administratione, in assidua ad frequentem eorum usum cohortatione, in agrorum cura, in aliis parochialis muneris functionibus, vobis provincialibus, Diocesanisque Conciliis praescripta praestate, atque exequimini accurate, ad earumque conciliarium constitutionum, decretorumve normam, omni obseruantia atque obedientia studio vos plane conformate.

Quae vero decretorum Provincialium, vel Diocesanorum partes ad laicos eorumque Christianam disciplinam attinent, quo sapius euulgatae, atque inculcatae seruentur diligentius: illas, summatim vulgari sermone expressas, crebro, prout vsu venerit, populis vestris proponite, denuntiate, explicate, atque in consuetudinem inducite.

Quaecumque denique vel ad vos, vel ad laicos, cura vestra commissos pertinent, ea decreta, quo maxime potestis studio, in omnem executionem, disciplinamque vsu introducite. Videteque in primis, ac perpendite, quae sint, & quam religiosa muneris vestri partes: cauteque ut in officio, & cura vestra functionibus non modo quicquam vos non committatis, sed ne omit- tatis quidem: cum in sacerdotali vita, pro muneris, quod susti- netis, ratione, tum grauioribus, tum longe plures, quam in cate- ris hominibus esse possint, omissionis culpa.

CAPVT XLVI.

*Monachorum varia instituta Reipublicae
utilia esse, & eorum modus ac
ratio.*

Nunc inter §. 1. **Christianos** **& fratres** **mundus est.** **S** in vrbe sancta ab initio vixit, non opus esset ea, quam nunc videmus religionum varietate; tum enim sanctorum erat congregatio, nunc plurimi Christiani ita viuunt, ut de mundo sint, & mundani videantur; imo eo vitia profecerunt, ut etiam Eccle- siae, & praebendae seculares appellentur, de profani- tate vocabulorum non queror, modo religio mo- rum teneatur. omnes Christiani mundo, diabolo, & pompis eius renunciamus, quod ad salutem est necessarium, multi arctioribus se legibus, castitatis, paupertatis, obedientiae perpetuae obstrinxerunt. Eorum aliquam vitam contemplatiuam, alii acti- uam profitentur, plerique ex vtraque mistam; quia nec Maria sine Marta vitae necessitatibus uti potest, nec Marta sine Maria ad pedes Domini sedere.

De ordi- **bus religio-** **forum va-** **rii tracta-** **tus.** **M**ihi nec laus religiosa vitae, nec defensio, nec or- dinum diuersitates exponenda sunt. Haec enim inter- gros tractatus postulant, & a multis egregie praesti- ta sunt. sed tantum Respublica instruenda est, quo- modo tot sanctorum exemplis recte utatur.

§. 2. Inique faciunt, qui de religiosorum mul- titudine, ac varietate queruntur. Cum omnes pene temperate, plerique pauperime viuunt. offendunt te sacra agmina Deo canentium, castorum, pauperum, ieiunantium, quibus dignus non est mundus; & non offendunt tot agyrtarum, decoctorum, tabernario- rum, ebriorum, de Xerophagia & ieiunio monacho- rum, non de Apicianis cenis afortorum flagellari credis annonam? Apage eas diaboli technas, quae Dei seruos reddunt odiosos. Tantum vini, cereuisiae- que cum naturae tormento, in ebrietate, ad corporis animaeque perniciem infumitur anno vno in Euro- pa, quantum omnium monachorum qui toto mun- do sunt, sobrietati decennio sufficeret: Vide conui- tiorum frequentiam, intemperantiamque, inuenies me parum dixisse. Hoc est, quod non modo exina- niendo apothecas pauperiem facit, sed iram diuinam irritat, ut grandine, gelu, vredine, licitate spem fru- gis in herba demetat. De hac re supra dixi, nunc de illis quae generalia sunt, omnibusque in Republica consideranda tractemus.

§. 3. Ordines illi qui labore manuum victitant,

vtiles sunt Reipublicae, neque eos vel rude vulgus culpate potest; nam plures simul post psalmodias labori insistant, inter pensa lectio sacra habetur, hymni spirituales canuntur, de piis rebus collocutio instituitur. Nulli isti graues sunt, de labore suo vi- uunt, vnde & aliis benefaciunt. olim ita magna pars eremitarum vixit, agit de his Augustinus l. de opere monachorum. Hoc esse sine intermissione orare docebat Abbas Lucius in Vitis P. cum enim quidam fratres ad eum aduenissent, requisit eos senex, dicens. Quid so- letis manibus vestris operari? At illi dixerunt: Nos nihil manibus nostris operamur, sed secundum quod dicit Apostolus, sine cessatione oramus. Quibus senex dixit: Non manducatis? At illi professi sunt. Etiam dixitque eis: Quando ergo come- ditis, quis pro vobis orat? At illi conticuerunt. Et iterum re- quisit eos, dicens: Nunquid dormitis? cumque illi se dormi- re dixissent, dixit eis: Quando ergo dormitis, quis orat pro vobis? & non inuenerunt, quid responderent ei: Tunc dixit eis. Indulgete ergo mihi, quoniam non facitis, sicut dicitis. Ego autem oro. Sedeo enim de mane vsque ad horam constitutam, & pauca palmarum folia infundo, & facio exinde funicu- los, & interim oro dicens. Misere mei Deus secundum ma- gnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Cumque percomplexero opera manuum mearum & fecero aliqua va- sa, aut paucos funiculos, & emergo ex eis nummos decem, ex ipsis nummis duos do pauperibus, & reliquos comedo. Quan- do ergo comedo aut dormio, tunc illi pro peccatis meis sine ces- satione implent orationem meam. Ita in vicijs Patrum libr. 3. pag. 53. num. 21.

Huiusmodi ordines & Pontifex facile appro- babit, & Respublica suscipient. Nam orationum & psalmodiae tempus praescribet; nempe illud quod saeculares, conuiuiis, lusuibus, ambulationique tri- buunt; & magnam utilitatem adferent; victus enim, vestitus, habitatio exiguis sumptus requirer, opera sua minore, quam alij precio diuident, quia mi- nore sumptu viuunt. Opera vero non vnius modi facienda; olim sportulas contexebant, quod vici- tissimum erat in Aegypti iuncetis, & carectis, cumque paucissimis oleribus, & pane vescerentur, non mul- to labore sumptus tolerabant. Hortorum etiam cul- tura conueniens est, ideoque eiusmodi monasteria in villis suburbicariis mallet, quam in ciuitatibus, ut hortum excolerent, qui altera est succidia, & res tamen suas in vitibus distrahare possent. Ad eos quoque pertinet scriptio, compactio, ornatuque librorum, addo & impressio. Nec minus pingendi, scribendi, texendi sacras imagines, & ornamenta templorum, quicquid demum opere tornatili, aut arcularij fieri consuevit.

§. 4. Qui manuum operibus non viuunt; illi vel redditus suos in communi possident, atque ex ijs vi- uunt; vel ex eleemosynis sese sustentant. Prouenti- bus dotata sunt monasteria ordinis sancti Benedicti; aliorumque qui hospitalitatem exercent, illa quam- uis inuidiam apud cupidos patiantur, pauperibus tamen grata sunt; nam plus eleemosynarum saepe vnius monasterij praeratus, quam integra ciuitates, largitur. Horum institutum est sanctissimum, quo- tidie plures horas diuinas laudes canendi, orandi, silentij, ieiunij, aliorumque cultuum disciplina se- uera. Concionantur interdum, atque alia munia sa- cerdotum exequuntur, noctis praecipuam partem in precibus, sacroque cantu transigunt. Hos inutiles esse Reipublicae, nemo vnquam suspicatus est; nam praeter sacras occupationes, alijs quoque officijs operam impendunt, totus septentrio, per eum ma- xime ordinem Christianam fidem accepit. Abba- rum plurimorum fidelissima, vtilissimaque opera sunt vsu imperatores; fecitque eorum religiosa vir- tus & modestia, & spectata prudentia, ut complures etiam

Oratio sine
cessatione.

Labores
monacho-
rum.

Monasterijs
opulentis
comendata
est hospita-
litas.

Imperii
Romani de
Benedicti-
onis iudiciu.

etiam ignobili loco in Romano Imperio principum
ius dignitatemque sint assecuti, neque indignum
suo statu arbitrantur, duces, & comites, religio-
rum antistitem auctoritatem suam parem esse. No-
runt enim non ambitione, aut precio, in pruden-
tium, fideliumque consiliatorum paucitate, &
inopia, religiosos viros de lateribus monasterio-
rum ad Christianam Reipublicam, populique DEI
salutem euocatos, ut cum auctoritate, & suffra-
gandi potestate sententiam dicent. Neque enim
ulla ratio suadet, virorum fide, pietate, doctrina,
prudentia, quique se rerum humanarum affecti-
bus exuerunt opera consilisque ad communem
salutem non vti. Taceo tot insignes antistites hoc
ex ordine processisse, ut idcirco institutus à DEO
videri possit, ne Ecclesiae gubernatio, Reipubli-
cae subsidium deesset. De his igitur taceo. Imperato-
res, Reges, Principes, ipsaque Respublica Chri-
stianae eos, nullo generis, aut fauoris, sed solo vir-
tutis, & publici boni respectu multis in locis prin-
cipibus, ducibus, comitibus exaequant, immo
comites, nobilesque in clientelam illis dede-
runt.

Ordinum
mendican-
tium vtili-
tas.

§. 5. Venio ad pauperes religiosos, quorum in-
gens labor docendi, officia diuina celebrandi, ve-
stitium, habitationum, victus austeritas, ac penuria
omnes ad misericordiam merito prouocat. P. Do-
minicani, & Franciscani olim Ecclesiam, & Rem-
publicam conseruauerunt, & nunc quoque religio-
ni, bonoque publico indefessam nauant operam.
Si de utilitate quaeritur; vnus Dominicus, vnus
Vincentius, tot animas conuertit, quot Moyses
Aegypto eduxit. Qui eos ocyca ordinem aiunt
ingredi, calumniatur, nemo enim, id fieri, potest
sibi persuadere; itaque calumnia est, & agnita ve-
ritatis oppugnatio; Tot diuites, & nobiles, desero-
to honorato, opulento, delizioso ocio ad illam
humilem sui abiectionem, omnium rerum ino-
piam, victus, ciliciorum, flagellorumque asperi-
tatem laetis animis properant, laetique sustinent
crucem, aspicientes in remuneratorem DOMINUM
IESUM CHRISTUM, qui reformabit corpus hu-
militatis eorum, configuratum corpori claritatis
suae. Hos igitur Rex, Princeps, Episcopus, Reipubli-
ca magno affectu fouebit. Neque enim futurum
est, ut desint Doctores virtutum, & fidei, quam
factis suis tam deuota DEO pectora profiten-
tur. quin omnia sibi prospera spondere potest, cum
pro regno suo tot orationes Sanctorum, tan-
quam odor aromatatum ad thronum agni conscen-
dant.

Clerici pa-
stres, mo-
nachi sunt
ones.

§. 6. Institutum religiosorum ex natura sua non
est Clericorum, quamuis qui in iis sunt Clerici, et-
iam privilegio gaudeant Clericorum. ita 16. quaest.
1. can. 6. Alia causa est monachorum, alia clericorum. Cle-
rici pascent oves, ego pascor: illi de altario viuunt, mihi quasi
infructuosa arbori securi ponitur ad radicem, si munus ad
altare deferro. Mihi ante presbyterum sedere non licet: Illi, si
peccaucero, licet me tradere satanae in interitum carnis: ut spi-
ritus saluus sit in die Domini Iesu.

Et can. 4. Monachus non docentis, sed plangea-
tis habet officium: qui vel se, vel mundum lugeat,
& Domini pauidus praestoletur aduentum.

Monachi
docti, &
Clerici pa-
stres sunt.

Altera pars est 16. quaest. 1. canon. 21. Doctos, ac pro-
bos monachos presbyterii honore dedicatos baptizare, pra-
dicare, poenitentiam dare, debita miseris laxare, & decima-
rum, primitiarum, oblationum viuorum & mortuorum
portione iusta perfrui debere moderata dispensatione com-
mendamus; ut iuxta Apostolum de altario, cui seruiunt,
vimentes per obsequium Dominicae plebis panem & vinum
immaculata benedictione transformant in corpus & sangui-
nem Domini nostri Iesu Christi.

Et can. 23. Moderamine Apostolica auctoritatis decerni-
mus, ut monachi, si presbyterii honore dedicati sunt, cum li-
gandi soluendiue potestate, decimarum, primitiarum, obla-
tionum, donationum, quae sunt pro viuis, & pro defunctis,
portionem iuxta canonem ad suam proximorumque vtilita-
tem merito perfectioris iustitiae non minus, quam ceteri sacer-
dotes laudabiliter sibi vendicent.

§. 7. Quae de visitandis frequenter monasteriis
iniuncta est Episcopis cura, eo praecipue spectet, ut
primaria ordinum institutio seruetur: neque facili-
ter permittent, absque necessitate minui rigorem,
ne augeri quidem; nam si nimia est viuendiauste-
ritas, multos alioqui idoneos excludit, multas ex-
ceptiones gignit, & privilegia, dispensationesque,
quas aliorum necessitas exigit, aliorum languor
& tepor extorquet.

Nimis au-
stertas pri-
uilegiarum
matur.

§. 8. Cum religiosus status sit ordo humilitatis,
& poenitentiae, neque tamen sine magistratu esse
possit; optima illa censenda est, in qua superiori-
bus sua manet integra potestas, & minima tamen
causa est ambienda praefectura: quod tum futu-
rum est, cum ita instituitur, ut officium sit potius,
quam dignitas. Nam si illi qui praesunt, commo-
dis corporis, honoribusque fruuntur praeter ceteros,
continuo, ut est humana infirmitas, quae in mun-
do fugitur, in religione quaeritur praesidentia. Om-
nes itaque monasteriorum superiores ita mensant
ceteraque instituant, ut forma sint & exemplar
subiectorum. Nihil peculiare habeant, nisi quod
officii necessitas exigit. Eo ita vtantur, ut ceteri vi-
deant, non amore deliciarum fieri, sed beneuo-
lentia & hospitalitate; ideoque aliis poenitentibus,
& austeritate, quod caritati indulget, sedulo com-
penset. Non enim potest verum esse desiderium
abnegationis, mortificationis, humilitatis, si pra-
lati, & seniores in eadem domo quietem & deli-
cias sectantur. Certè recte constitutum est; non
posse fieri Abbatem eum, qui monachus factus est,
ut fieret Abbas. Nec fieri potest Abbas, qui mona-
chus egit, ut fieret Abbas.

Optimare-
ligio, in qua
praesidentia
nihil habet,
cur ambia-
tur.

Austertatis
asseritor
est Abbas, si
eam ipse
experitur.

§. 9. In monasteriis opulentiis prima cura sit
tollendi luxuriam, ad sint necessaria laborantibus, sed
regulae seueritas obseruetur; non modo in subdi-
tis, sed multo magis in illis, qui exemplo esse de-
bent. Opus autem in pauperes, in augendum ope-
rarium numerum, in studia, fabricam, ornamenta
templi infumantur.

Necessitati
non desint,
luxuriam pel-
lant.

§. 10. In pauperum monasteriis Principes, Epi-
scopi, Praelati, Ditores, Clerici, ac ciues id agant,
ut quam minimo opus sit discursu, & per ostia alie-
na mendicatione. Quanquam enim eam verecun-
diam subire ipsi religiosi soleant, humanius tamen
est, atque omnino ad eorum quietem, atque in
diuino seruitio progressum vtilior rarus egressus
in publicum; religiosus extra monasterium est vel-
ut piscis extra aquam. Monachus sine cella caret
vita, 16. quaest. 1. placuit. Neque minima causa fuit,
cur feruor & pietas refrigerit patrum memoria in
religiosis, quam in opulentis quidem monasteriis
diuitiarum abusus, in pauperibus euagationes pro
victu ad terminos, ut vocant. Cum enim magna
multitudo excreuisset, sed à vetere zelo, ac picta-
tatis ardore paululum recessisset, precibus, & inter-
dum vrbantate quaerendae fuerunt elemosynae, terminos.
inde licentior egressus, & conuersatio, quodque
hominem externa commoda sectantem sequitur,
cellae odium, ac tandem disciplinae euersio.

Pauperibus
religiosis
debet domum
mittere ne-
cessaria.

Monasterio
rum dispo-
sitione ob-
lucio ob-
terminos.

Hinc etiam in contemptum facile veniunt, dum
saeculares eos ventris causa proficisci arbitrantur;
Addo nec omnes, utpote domi pauperem vitam
agentes, nosse ciuitatis odiosas caeremonias; fessos,
famelicos, sitibundos, moras in mensa trahere inaf-
fueros.

Inscui vrb-
nitatis mi-
noris sunt

fueros videri crebro potus aut cibi appetentiores; infuria omnino: nam homines delicati ad mensam confident, vt nauseantem stomachum artificio condituræ excitent, illi dum rugientem sedant ventrem, voraces iudicantur.

Discursus mendicantium largitas diuitum tollat.

Optandum igitur, vt sit ea liberalitas, vel in liberalitate benignitas diuitum, qua laboriosæ, distrahentes animum, & disciplinam concutientes discursationes per pagos, & oppida tollantur, quæ vt plurimum iuniorum sunt, & laicorum. Nam dum viri ex illis docti & graues ad consilia danda, iuuantur parochos, & parochianos accersuntur ad hanc victus sollicitudinem non pertinet. Nec infructuosa erit eorum opera, vt qui olim soli pene fidei sustentarunt.

In magnis vrbibus mendicantium collegia ex-ruenda.

§. 11. Ea causa monasteria eorum vel in magnis vel prope magnas ciuitates collocanda sunt. Et si rem inspiciamus, apparebit præterito sæculo monasteria magnarum vrbium disciplinam tenuisse, in oppidis valde laxatam fuisse. Nam longius erat petendus commeatus, paucali poterant, & inter paucos, crebro peregrinantes non potest diu rigor feruari, quo autem magis à primæuo instituto receditur, eo diuina benedictio sese magis retrahit, crescitque & aggrauatur cura viuendi: efficiturque vt quos maxime domi collectos sedere expedit, eos dura necessitas exigit, & in pericula primo quidem acedia, & fastidij rerum sacrarum, deinde in graui peccata impellat.

Impetus moderandus.

§. 12. Præcipua cura in recipiendis nouitiis adhiberi debet; In ordine rigido, ne cito admittantur, & subito feruore; nam vbi magis impetus, quam matura deliberatio mouet animum, propositi perseverantia deficit. Violentissime procedunt quos impetus fert, vbi naturali gressu viam carpiamus, lentius, sed certius metam attingimus. In monasteriis opulentis, in quibus vita commodior, promotio ad honorifica officia, libertasque sperari potest, magna inquisitione opus, ne forte candidatos non Dei dilectio, sed amor mundi faciat religiosos: ne desperatio faciat monachum. Illi enim inquieti sunt, & quia id quod sibi proposuerant non consequuntur, aut tarde, & mistum multa humilitatione affequentur, facile cum offensione, & suo exitio institutum deserunt.

Dei causa ad religionem veniendum.

Neque quisquam plus obest, quam Superior, qui incrementum ex facili, & temeraria admissione quaerit. Narrat Antonius Senensis in Chronico P. Dominicanorum illa imprudentia ordinum dissolutionem habuisse initium, cum enim Anno 1348. & sequenti ingens pestilentia lues mundum peruasisset, illa, quam Robertus Auinionensis Anno 30. ante prædixerat, monasteria pleraque exhausta sunt, nam dimidia pars hominum absumpta fuisse censetur; in religiosos vero malum acius incubuit, quod morientibus adesse, instruere, ad exitum animare, sacramentis munire consueverant. Qui igitur tum supererant, cum pene vacua domicilia viderent, specioso magis consilio, quam prudenti, sine magno discrimine multos admiserunt, quos etiam licet licentius viuentes tolerandos putarunt, sperantes fore, vt cum ætate mores quoque maturerent. Sed contrarium euenit; nam adultiam, & plures, morientibus senioribus, cum vitia iuuenum retinuisent, auctoritatem senum assumpsissent, dissolutionem induxerunt, contra quæ deinceps & viri zelosi in ipsis ordinibus, Pontifices, Reges, Episcopi pugnarunt, quæ tamen expugnari penitus non potuerunt, donec stragem hæresis fecit, nunc vero omnes ordines feruentius & constantius, quam à trecentis annis factum sit, sese reformant, alii aliorum exemplo incitati. Ita-

Pestilentia monasteria exhausta.

que magna cautione admitti debent, nam facilius mali seducunt bonos, quam conuertuntur ipsi.

§. 13. In ordinibus religiosis non modo agendum est, vt vitia feruere corrigantur, scandala tollantur, sed animorum incitatus feruor, zelus animarum, amor tuenda discipline fouendus est. Vita religiosi si languida est, si in virtute non procedit, si inuitus & tristis exercitamenta suæ professionis subit, si ad libertatem adspirat, ruinæ proxima est. Si plures eiusmodi sint, aliorum alacritatem retardant, si etiam suis affectibus contententem Superiorem elegerint, actum est, nisi eum continuo Episcopus deponat; quod potest, vt est in iure 18. quæst. 2. Si quis. Neque tantum criminosis est noxius, sed etiam negligens, vitiis indulgens, nam quemadmodum, vt secundo flumine naui delabatur, non opus est labore; sed non remigare, non vela pandere in contrarium, satis est, ita quoque nisi quotidiana cura ad bona trahamur, sponte in mala delabimur, id quod quisque in seipso, Superior in omnibus elaborare debet.

Denique omnes qui religiosam vitam ingrediuntur, se rebus humanis in vniuersum exuant, atque ita viuunt, ne sint causa, vt vel minima regula instituti violeatur, officium suum esse norint, quod Iordanus respondit, esse Dominicanorum: nempe Honestè viuere, discere, docere. Nam reuera non modo honestè viuendum est, sed insuper discendum, & cum est opportunitas, docendum; ita Antonius & Aphraates è solitudine in publicum prodierunt, & verbum DEI exposuerunt. Vide in ligne Aphraates responsum ad Valentem Imperatorem l. 8. Hist. Tripart. cap. 4. Diuus Basilii vitam monachorum lectione, & oratione perfici censuit ad Gregor. *Εἰ καὶ πάλιν τὰς ἀναγνώσεις διαδεχόμενος, νολέειν τὴν ψυχὴν καὶ ἀκριβοῦς πρὸς Θεὸν πόθον κεκινῆσθαι ἀεὶ παραμένοντι.* Orationes iterum cum lectionibus excipiunt, recentiores, & vegetiores, animam ad DEVM desiderio motam accipiunt. Hanc ob causam videmus hodie in omnibus vniuersitatibus religiosos studijs operam nauantes, alios domi priuato magistro vrentes, cuius opera cum in philosophia, & Theologia æque commode vti non possint, nam hæc studia publicas exercitationes exigunt, fere, & quidem vtilissime ad Academias ablegantur. Concilium Viennense prudenter constituit, vt in omnibus monasteriis, in quibus eius rei gratia sufficientia bona sunt, ludi literarij magister, seu doctor habeatur: Scripturæ etiam expositionem vrget Concilium Tridentinum, & Concilium Aquileiense Anno 1596. celebratum, §. de fide tuenda. In monasteriis quoque Monachorum, etiam in monasteriis Carthusianorum, vbi commode fieri queat, item lectio sacra Scripturæ habeatur: qua in re si Abbates negligentes re explicauerint, Episcopi locorum in hoc, vt Sedis Apostolica delegati, eos ad id opportunis remedijs compellant, quemadmodum Decreto Concilij prouide statuitur. In Conuentibus vero aliorum Regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacra Scripturæ lectio similiter haberi ex Tridentini Concilij præscripto debet: Quæ lectio à Capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus ministris. In Gymnasijs etiam publicis, si hæcenus sacra Scripturæ lectio instituta non fuit, ad Catholice fidei conseruationem, propugnationem, & defensionem, quam priuatum institui, & si instituta foret, & negligeretur, restitui ex Tridentini Concilij decreto omnino debet; ne si artium & scientiarum principia, & documenta studiosè passim traduntur, vt nihil ad perfectam cognitionem desideretur, neglecta iaceant sacra Scripturæ studia, Euangelici Verbi pabulum, diuinorum eloquiorum maiestas, & promissorum celestium amplitudo, quod est vnicum præsentis vitæ subsidium, & futuri sæculi argumen-

Officium religiosorum.

Studium religiosorum.

In monasteriis Carthusianorum, vbi commode fieri queat, item lectio sacra Scripturæ habeatur: qua in re si Abbates negligentes re explicauerint, Episcopi locorum in hoc, vt Sedis Apostolica delegati, eos ad id opportunis remedijs compellant, quemadmodum Decreto Concilij prouide statuitur.

argumentum. Verum quæ de studiis Reipublicæ, Clericorumque alias dixi, ad religiosos præcipue pertinet, quos oportet, vel studuisse, vel studere, aut ut rectius dicam, & studuisse & studere.

Opprobriū Monachorum studio tollendum. Hoc præsertim tempore, quo communi sectariorum conuicio exagitantur, cum dicunt, Monachum nihil esse indoctum, quod falsissimum esse plurimi, doctissimiq; in monasteriis vii ostendunt; ne tamen sine occasione dicatur, nonnullorum facit ignavia, & à studiis aliena voluntas, qui magno subditorum malo, & ordinis dedecore, imo & Ecclesiæ Catholicæ contumelia, & eruditionem ipsi negligunt, & ne alii proficiant, sunt impedimento. Nec timenda est inhans scientia doctorum, cum nemo magis religiosæ obedientiæ, & disciplinæ rationem perpendat, quam is qui solide doctus est. Concludam hæc elogio S. Chrysostomi. in cap. 5. Epistol. 1. ad Timoth. homil. 14. in qua officium, omnesque actiones Monachorum vii sanctus calamo eruditio describit. Quasi enim de terra in Cælum, ita ad sancti cuiuslibet viri monasterium de propriis domibus itur. Non ibi conspicis ea quæ domi, mundus est locus ille, alia ibi quies, atque silentium est. Meum & tuum inde prorsus eliminatum est. Illic vel si diem vnum aut duos manseris, tunc vero voluptatis maiore sensu superfundis. Lucet, imo ante lucem gallus emittit vocem, non ubi velut in secularium domibus sterit familia, clausa sunt ianua, omnes alto sopore prostrati, mortuis similes sunt, rinto in nubula quatit, nihil illic eiusmodi est: verum omnes cum reuerentia, disquiso sopore consurgunt, à præfulscenti suo, adstantque sacro instituto choro, protinusque expansis manibus sanctos concinunt hymnos. Neque enim illi ut nos, ut excutiant somnum, horis plurimis indigent. Nos quippe simul atque surreximus diutius occupamur, imus ad requisita naturæ: deinde manus lauamus & faciem, postea calcamenta sumimus, ac vestes, multumque in his temporis terimus: ibi nihil huiusmodi videas. Nullus illic famulum vocat, quisq; enim sufficit sibi, non eget vestibus plurimis, nihil opus habet excutere somnum: simul enim atque oculos aperit diutius vigilasse videtur: quod illi sobrietatis ratione contingit. Nisi enim cor prægrauè cibis infra mergatur lenis salubrique somno exurgitur facile: moxque precum repetit vices, manus purat tenduntur, quia somnus præcessit honestus atque moderatus. Nemo stertentes audit hic, aut hiantes somno, nullus tactari quempiam per soporem videt, neque nudari, sed dormiunt honestius vigilantibus compositi. Hoc autem totum ex animi disciplina & honestate proficiscitur. Isti profecto sunt sancti atque inter homines Angeli. Summus namque DEI timor non finit hos profundo sopore demergi, animusque à suo vigore laxari, sed ferme in superficie est, ipsoque reficit solum. Huiusmodi illorum quoque sunt somnia, non phantasia aut portentosa imagines referunt: sed, ut dixi, galli cantu continuo (præpositus) absistit pulsaturque modice pede iacentem, sicque omnes una protinus excitat, neque vero nudos ibi dormire fas est. Inde ubi surrexere diuini laudibus instant, hymnosque propheticos canunt magno suauisque concentu & canticis numerosis. Non fistula, non citrara, non vllum aliud instrumentum musicum tam dulces efficit modos, quam sancti illi summa in solitudine, & quiete psallentes. Ipsa quoque illorum cantica conuenientissima sunt, & amore DEI diuinarumque rerum studium spirant. In noctibus, inquit, extollite manus vestras ad DEUM. Et rursus: De nocte mane vigilat spiritus meus ad te, DEVS, quia lux præcepta tua sunt in terra. Cantica item Davidica fontes mouentia lacrymarum. Cum enim psallit dicens: Laboravi in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum: Quia cinerem tanquam panem manducaui. Item: Quid est homo quod memor es eius? & homo vanitati similis factus est, & illud: Dies nostriffricit umbra transeunt. & Ne timueris cum diues factus fuerit homo & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.

Et iterum: Qui habitare facit vnus moris in domo. & Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ. At rursus: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. & DEVS libera animam meam de manu inferi. & Si ambulauero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Itemque: Non timebo à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, à incursu & daemónio meridiano. Et: Aestimati sumus ut oues occisionis. Quando cum Angelis canunt, nam & Angeli tunc etiam psallunt. Laudate Dominum de Cælis: nobis oscitantibus, prurientibus, atque stercentibus, siue etiam supinis iacentibus, & fraudes innumeras cogitantibus: quale est illos noctis totius spatium in Dei laude consumere. Vbi vero lux diei iam vicina est, pausant illi pusillum, & cum opera nos aggredimur illi quietis sibi vendicant tempus. Iam vero ubi illuxit, quisque nostrum alium vocat, sermonemque de impendiis texit. Inde irrumpt in forum, magistratus adstat, tremit, ac supplicia metuit. Alius in scenam abit, aliud opus suum proficiscitur: illi contra matutinis precibus hymnisque peractis ad sanctarum scripturarum studia se conuertunt. Sunt & qui libros scribere dicuntur. Vnusquisque vero præstitum habens domicilium silentio perpetuo studet, sicque nemine texente nugæ, aut aliud aliquid loquente, tertiam, sextam, nonam, vespertinamque consummant synaxin: quippe quatuor in partes diē scindentes impletis partibus singulis psalmodiis atque laudibus honorant Deum: ceterisque his præudentibus, ridentibus, ludentibus ciboque distentis immodico, hi laudibus vacant. Minima his instituende mensæ cura & omnium qua sensui subiaccit: post cenam rursus diuini inseruiunt laudibus, sicque sobrie somnum capiunt. At seculares quidem & die dormiunt: hi noctu quoque peruiigiles durant ut reuera lucis filii. Et illi, ubi somno plus indulsere, grauati prodeunt: Contra, hi semper sobrii sunt sine cibo persistentes & hymnis intendentes. Ad vespertinam rursus inclinante die illi ad lauacra & requiem properant: hi vero à se ipsis laborem spiritualis exercitii laxantes cibum sumunt non famulorum excitantes gregem, non domum discurrentes, turbasque & tumultu commouentes, neque pretiosas dapes & coquorum arte laboratas apponentes: sed alii panem tantum & sal, alii & oleum sumunt, plerique infirmiores olera atq; legumina in cibum accipiunt. Inde ubi paululum sederint, tempus omne hymnis concludentes singuli thoris requiescunt ad quietem solum, non ad delicias facti. Nullus ibi principum terror, nulla arrogantia dominorum, non seruorum timor, non turba mulierum, non paruulorum inquietus clamor, non criminorum multitudo, non vestis superflua, non aurum, non argentum, nullæ custodia, non fiscus, non aliud huiusmodi quicquam: sed omnia orationibus feruent, hymnis omnia resonant, omnia spirituali fragrantia redolent. Nihil ibi carnale est, non latronum illic timetur incursus: neque enim habent quod eis possit auferri, pecuniis carent, corpus tantum & animam possident. Ea qui tulerint non modo leserunt nihil, verum & plurimum profuerunt. mihi enim, inquit, viuere Christus est, & mori lucrum. Absoluerunt nexibus corporis: profecto enim vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Non illic auditur ululatus & gemitus, vacant his omnibus tecta illa felicia, his tristitia, his clamoribus libera. Moriuntur quidem & in ipsis, neque enim corpore sunt immortales: ceterum mortem illi nec ducunt, nec existimant mortem, cum hymnis prosequuntur abeuntes, eamque rem non elationem funeris, sed pompam & præmisionem vocant. Denique ubi quisquam nunciatus fuerit mortuus, magna oritur exultatio, ingensque voluptas omnium. Imo ne mortuum quidem aliquis appellare præsumit, sed consummatum. Inde gratiarum actio sequitur, & gloria ingensq; letitia singulis orantibus se hoc sine donari, sic exire certamine & à laboribus sudoribusque quiescere Christumque videre punctum. Quod si quis infirmatus fuerit, aegrorum non lamenta, non lacryme, sed perpetua funduntur preces: cura. non ibi medicorum operatur manus, sed fides spe sola sanauit infirmum. Nempe & si opus fuerit medicis, magna & hic ostenditur philosophia, ingensq; ostenditur tolerantia. Non

Scriptura-
rum studia.

Victus ere-
mitarum.

Canticare-
ligorum.

adstat solutis criminibus vxor, non parui pupillaris incommodi, quæ nec dum contingere, mala descentes, non familia exspirantem importunis precibus pulsans, ut se cuiquam tuto commendet: sed his impedimentis omnibus exutus animus, vnum inspicit solum, quo pacto maiore cum gratia extremum Deo spiritum fundat. Sed & si contigerit morbus, non ex gula prodit vitio, non ex vinolentia, sed ipsa quoque morborum occasiones plene sunt laudibus, non criminibus ullis obnoxia. Autem ex vigilis iugibus, aut ex continuato ieiunio aut ex aliquibus huiusmodi infirmitas nascitur: quocirca etiam facile liberantur. Satis enim illis est ad euadenda languoris incommoda, si vel modice de pristino rigore relaxent.

CAPUT XLVII.

Sacrarum virginum cætus, leges, gubernatio.

Honorata, sed rara gentium virginitas.

§. 1. **V**irginum semper magna fuit in Republica maiestas, atque inter Ethnicos quoque locus honoratus. Nam & Romæ Vestalium erat pene senatoria dignitas, & apud Græcos quoque in precio virginitas fuit, rara tamen, ideoque cara dignitas. Sed flores illi, quos vix singulos integra regna Gentilium conspexere, totos Ecclesiæ campos, præsertim de sanguine Dominico recens irrigua noualia occuparunt; postquam enim Paulus quasi sementem faciens, hæc verba spatit, 1. Corinthior. 7. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam vri. Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.

In Ecclesia multa virgines.

Quid effecerit, Corinthus impudicitie famosa cultrix ostendit; nam mox virgines velare cœperunt, & Tert. de Virg. vel. cap. 2. Et Corinthii, inquit, hodie virgines suas velant. Eodem tempore collegium virginum erat Philippis, quod Ignatius salut. Ign. epist. 8. Et epist. 10. ad Smyrnenles: Saluto & eas, quæ in perpetua degunt virginitate, & viduas, Et Epist. 12. monet Heronem, ut virgines seruet, tanquam preciosa Christi monilia. De his Clemens, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus. Iustinus martyr de his magnifice apud Antoninum gloriatur. Per multi profecto sexus vtriusque & sexaginta, & septuaginta nati annos, qui à pueris disciplinam Christi sunt testati, incorrupti & cælibes perdurant; & gloriari me per omne genus hominum nostrorum tales monstrare posse. Sanctus Cyprianus de habitu Virginum, testatur earum ingentem fuisse numerum, in Ecclesia sub persecutorum gladiis viuentem. Iam refertus est orbis, impletus est mundus eorum, qui capere continentiam possunt, more spadonum viuentes, castrati ad regnum Dei. Cecinit & Virginitatis præconia Naumachius poeta.

Gloria Ecclesiæ virginum multitudo.

Καλὸν μὲν δέμας ἀγνὸν ἔχειν, ἀδμήτ' αὖτε μίμνειν Παρθενικὴν, καθ' αἰετοῖσι τ' αἰεὶ μελεδῆμασι χάρεσθαι. Μῆτε βαρυλήτων λαγόνων πρὸς Φόρτον ἄγουςαν. Μῆτε πόνον τρομέσασιν ἀράζονον εἰλεῖσθαι. Ἀλλ' ἴδ' αἰ βασιλεῖαν ἀφ' αὐρῶν θηλυτέρων ψυχῆς ὁμοῖα φαινὸν ὑπὲρ βίβλιος χέουσιν, Εὐπαινοῦμεν καὶ ἀλλήθ' ἰδὲες, ἐν θαμνίσσῃ Δεσποτοῖσις ἐπέεσσιν νοήματα φάθα τίκτες.

Præclarum sane est castum habere corpus, & manere inuiolatam, virgineam, puris vero semper hymnis gaudere, nec graue circa renes onus ferentem. Neque Lucinæ laborem gemitumque tremere; Verum sedere reginam imbecillum mulierum, ani-

mæ lucidum oculum in vita fundentem. Ibi splendida nuptia, & verè, ibi mixta diuinis eloquiis, lucidas intelligentias generat.

Sed virtutem laudare, facile est, eam inferere, sepire, augere, defendere, difficile, præsertim virtutem mulierum, quæ fragiles sunt, & mutabiles, virtutem præcipue castitatis, quæ internum habet inimicum, & fortem, blanditiis pollentem; de virginum itaque monasteriis, vitæque agendum.

§. 2. Quædam monasteria virginum sunt, quæ castitatem voverunt, alia vero libera sunt, quæ nescio, an extra Germaniam inueniri possint, in liberis tamen Abbatissa est astricta votis. Non ignoro illos virginum cætus à multis improbari, sed mores aliquarum illi non institutum reprehendunt. Nam mihi vitæ plane videtur locum esse, in quo honeste, tutoque virgines educuntur ad pietatem, laboresque sexui necessarios, & conuenientes, quæ deinde cognitæ vitæ religiosæ exercitiis, vel eam amplectantur, vel nuptui tradantur. Ut sit quasi seminarium virginum & matronarum; modo adsint ea, quæ vitæ communis honestas requirit, vitentur corruptelæ, & quidquid bonæ famæ obflare poreft.

Libera monasteria virginum.

§. 3. De monasteriis vero virginum professarum, seu voto obligatarum nos agemus. Ea vero duplicia sunt, quædam enim virgines manuum solo labore viuunt; quædam redditus suos habent. Omnium maxime illa proba, quorum mediocri est proventus annuus, ut temporis pro sacris precibus, & lectionibus sit satis, & pars sustentationis ex prouentu, labore vero manuum cætera acquirantur.

Mediocris labor virginum conuenit.

Labores varii esse possunt, omnia quæ ad rem vestitiariam, quæ vtuntur, pertinent, deinde texere, acupingere, nere, hortum colere. Cum enim studia, multiplicesque lectiones mulieribus haudquam conueniant, nec perpetua oratio, aut psalmodia vsurpari queat, interpolanda sunt illa non ocio, sed labore, qui talis sit, ut spiritum exciter, corpus salubriter exerceat, non opprimat, quæ de re Episcopus dum visitat sollicite inquirat. Verum quicquid de integritate, disciplina, conseruatione monasteriorum, in quibus virgines degunt, statui potest, id agente sanctissimo, & prudentissimo Archiepiscopo Mediolanensi, Carolo Borromæo, per Concilium primum, & Concilium quartum Mediolanens. constitutum est. Quæ capita inde sumere placuit, tum vt apud Episcopos, Prælatos, ipsosque virginum cætus, tanti præfuls, & synodorum auctoritatem habeant, tum vero vt aduersarii videant, quæ vita sit sacrarum virginum, & quæ cura salutis, desinantque vitam sanctissimam, quam imitari nolunt, infamare. Hoc simul affirmo, in his constitutionibus, Apostolicæ doctrinæ, sacrorum canonum, eorumque, quæ de cura virginum patres tradiderunt, compendium contineri.

Carolus Borromæus sanctæ de virginibus statuit.

In prima igitur synodo hæc statuuntur, vt in monasteriis regularium mulierum, quæ in religionem DEO se dicant, & integra conseruetur vetus disciplina, & si fortasse vsquam deprauata est, restituantur; ad eamque sese ipsæ conformantes, in rerum diuinarum contemplatione liberius conquiescant: nos hæc pie recteque viuendi formulas, partim Concilii Tridentini decretis traditis, partim pro ratione horum temporum ad prouincias nostras utilitatem constitutas, ab omnibus in hac prouincia monialibus, etiam quæ Regularium cura commissæ, vel alia quauis ratione Episcoporum iurisdictioni subiectæ non sunt, ex facultate à summo Pontifice Pio IV. nobis data, seruari omnino iubemus.

De Mo-